12

DE

CURA PUBLICA MENTE CAPTORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PSYCHICO - MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XVIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

FRIDER. GUIL. THEOD. BREUNIG
BORUSSO-RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

M. TYRELL, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
F. SCHUNCK, MED. ET CHIR. DR.
A. SAUER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO

RUED. BRUENING,

SUMMO URBIS ELBERFELDAE PRAEFECTO, EQUITI ORDINIS AB AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA,

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

AL. PAGENSTECHER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET MEDICO ELBERFELDAE PRACTICO MERITISSIMO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA REVERENTIA ET PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Quum arcendis curandisque morbis omnibus physicis curam impendere pro viribus sit bonae civitatis, tum non minus animum par est, ut advertat ad morbos psychicos, quippe in quibus de eo agatur, quod in homine est praestantissimum. Quin majorem his necesse est dare operam propterea, quod non ad solos medicos pertinent, sed ad judices quoque et ad sacerdotes. Cura enim morbis psychicis impensa eo spectat, ut sanos ab iis defendat, mente turbatos captosque in bonam valetudinem restituat tutosque praestet. Quod ut assequi possimus, et medicinae et jurisprudentiae et theologiae praecepta adhibenda sunt. Quae res, quamvis sit gravissima, libris adhuc parum est illustrata, ut neglectam dicas, quum neque eae partes, quae legum de turbis domesticis cavendis et de juribus privatorum sunt, neque quae ad

medicinam forensem pertinent, accurate explicatae sint, quamquam his prae ceteris Henkius, Meckelius et Masius operam suam impendere. De mente captis Hoffbauerus in libro suo, qui inscriptus est de psychologia ad jurisprudentiam adhibenda, atque Heinrothius in libro de medicina psychico-forensi optime scripserunt.

Quam ob rem, si conatus ego sum, quae de hac re dispersa aguntur colligere ordineque disponere, quaeque ipse sentiam, addere, precor obsecroque eos, qui haec legant, ut benevolenter velint judicare et indulgere homini in re medica novo et rem quasi novam tractanti. —

Obstat naturae finique civitatis, in ipsa cives esse mente captos, et maximum detrimentum, nisi huic morbo quocunqne modo opponatur, illi paratur. Quum enim ea conditio, qua sui juris quisque est, et libertas uniuscujusque in rebus ad ipsum pertinentibus requiratur, ubi inter cives contrahitur, necessario sequitur, ut omnes status hominis, in quibus illa libertas vel omnino interierit, vel pro tempore esse desinat — atque tales conspiciuntur in mente captis — impediant, quominus officiis juribusque cives utantur. Civitatum igitur est, cavere, ne quis mente capiatur et ut mente capti restituantur.

Quum vero non omnes possint curari semperque aliqui insanabiles, qui et sibi ipsis et vicinis nocere possint, restent, civitatis est curare, ne juri personae ac possessionis noxiam afferant utque ipsi humaniter observentur.

Haec igitur tria civitatis sunt officia circa mente captos:

1) ut curam adhibeat, ne quis civis mente capiatur,

2) ut mente capti sanentur,

3) ne quis per mente captos detrimentum capiat.

Quaeritur, quam habeat civitas facultatem, ut satisfaciat his officiis? Ad quam quaestionem prius quam respondeamus, libet, notiones quasdam accuratius explicare: quis sit mente captus, quae sint genera hujus morbi et qui status assimiles? —

Homo sanus habet judicium de se ipso et de ratione, qua cum aliis conjunctus sit; vel amens tali judicio non omnino caret, sed sentit, quamvis obscure, confidere sibi se non posse; alios audit, consulit; si sat temporis ei concedatur et operam sibi det, jam res non ita confusas intelligit. Idem valet de ebrio, nisi ad summum venerit, tum enim vere captus est mente. Animi insani abnormes sunt facultates; turbatur talis animus in rebus sibi agendis.

At in eo solo mente captus nondum conspicitur, sed idem invenias apud adversipedem et maleficum. Mente captus porro fallitur abnormi suo actu psychico; at opiniones sat mirabiles etiam sunt hominum sanorum. Apud mente captum accedit, quod invita ratione opinionibus falsis fidem habet eandem, quam rebus, quas sensibus noscit; quod non potest intelligere fraudem, qua implicatur, quamvis ab aliis doceatur. Haec difinitio simillima est Kantiana: mente captus est, qui caret sensu communi, utitur sensu privato.

Ut res clara fiat, hic habeas exempla quaedam: hypochondriacus nunquam de opinionibus suis persuasum sibi habet, peritus autem, quod si est, mente caret (melancholia hypochondriaca). Omnibus notae sunt fraudes sensuum, quum opinemur audire aliquid, videre etc., quamvis nihil adsit. Simulac illud temporis momentum praeteriit, cognoscimus non esse falsos; in ipso autem momento mente capti fuimus. Quodsi vero fraus illa manet neque eam intelligimus, mente caremus, ut ille rusticus, qui semper muscam videre opinabatur. Saepe etiam mentis turbationes videmus sensim sensimque fieri, uti apud Dominum Quixotum. Sanus fuit, dum rem equestrem nimium admirabatur et rerum novarum sibi gerendarum cupidissimus erat,

sed inerat jam tunc animo ejus quaedam ad dementiam proclivitas, quae plane perspicua facta est, quum a caupone illo in ordinem equestrem receptus esset. In eo cernitur, quid intersit inter hominem, qui mores receptos spernit et altera quaeque perpetrat ab iis et inter mente captum. Difficilius est dicere, quomodo superstitiosus differat a mente captis; nam qui imaginibus diaboli spirituumve malorum fidem habet certam, delirat, qui ambiguam, superstitiosus est. Verum cum hoc animi statu nunquam non quaedam corporis affectio connexa est. Organon quoddam, quod in actione mentis efficax est, morbo laborat; quamquam cetera organa optima frui possunt valetudine. Possunt, ajo, quamquam vulgo signa morbi in corporis parte aliqua conspicua sunt, praecipue cum cerebrum male affectum sit. —

Jam status ille, qualem mente capti esse intelligimus, tribus potissimum modis variatur: 1) intellectus deficit vel paulo minus — hebetudo animi — vel aliquanto magis — stupiditas. — 2) Non quidem deficit intellectus, sed tamen vegetus non est et totus occupatur tristitia quadam — melancholia. — 3) Non deficit intellectus, at vesanus est et ad violenta quaeque propensus est — mania, furor. Hi tres status morbidi conjuncti quoque esse possunt,

videlicet stupiditas cum melancholia, furor cum stupiditate, melancholia cum furore, quae conjunctio omnium est pessima.

Atque de his quidem hactenus; jam ad ipsam questionem, de qua agitur, transeamus et primum dicamus de officio civitatis, quo cura ei habenda est, ne quis mente capiatur.

I.

Potestne civitas hoc exsequi officium? Nonne incerta est opera huic rei data? His quaestionibus responsuri rebus ipsis enarrandis demonstrabimus, satis multas esse causas in rebus civilibus, propter quas homines mente capiantur, quasque removere in potestate bonae sit civitatis.

Inter has primum recensemus propagationem morbi infelicis, quae fit hereditate. Liberi parentum, qui fuerunt mente debili, haud raro et ipsi hac debilitate laborant, quod saepissime per plures generationes propagatur. Quam mentis debilitatem propagari experientia satis superque edocti sumus, nuperque etiam Sennesburgii de Cretinismo scriptione. Quaedam plerumque in causa est capitis formatio abnormis vel cerebri, quamquam etiam sine hac mala formatione hereditaria invenitur debilitas men-

tis pluribus in familiis. Sennesburgius refert, strumaticum filium cretini strumatici, ipsum semicretinum, si semicretinam in matrimonium sumat, liberos procreare cretinos et totam ejus posteritatem esse cretinam. Porro si semicretinus uxorem, quae cretina non sit, ducat, liberos fieri imperfectos cretinos, saepe etiam non cretinos. Qui si et ipsi sanas ducant uxores, saepissime sensim sensimque cretinismum evanescere. Has similesque leges valere de ceteris quoque mente turbatis docuit Fodéreus; diversae autem sunt in insania, melancholia, furore laborantibus etc. In melancholicis maniacisque morbus raro est hereditarius; sex octove liberorum unus saltem eodem malo inficietur. Fodéreus contendit, dimidiam mente turbatorum partem hereditate infelices esse. Quod verum esse invenies, si contempleris, haud raro constitutionem corporis temperamentumque ad liberos propagari, indeque pendere morbos psychicos. Ita temperamentum melancholicum ad melancholiam propensum est, cholericum ad maniam. Verumenim vero hoc periculum, quod e propagatione insaniae hereditaria exoritur, non ultra rectos fines augendum est. Nam sola haec cogitatio maximum potest terrorem injicere homini, qui novit in sua familia fuisse, qui mente caruerint, quia saepe in causa potest esse, ut revera ipse mente tur-

betur. Cum mente turbata autem, uti jam vidimus, haud raro ceteri omnes conjuncti sunt corporis defectus. —

Recentioribus fuerunt temporibus, qui propria culpa — malis moribus — ortum dixerint morbum insaniam. Sibi semper, ait Heinrothius, adscribere debet culpam, quicunque fit melancholicus, mente turbatur, vesania laborat, nam quod vita praebere potest praestantissimum, libertatem non conservavit, ejus leges, quarum bene sibi conscius est, migrando. Severe hoc dictum est, neque semper valet, nam abundamus exemplis, quibus demonstratur, absque ulla sua culpa turbatos esse mente homines. Quoties vidimus, defectus organorum, imprimis cranii cerebrique et membrorum cum his conjunctorum deformitates in causa esse insaniae, ne verbum de aliis organicis causis addamus. Dilucidissime haec probant iidem Cretini; ac nuper etiam observavit Klugius prostibuta raro mente turbari. Attamen Fodéreus parem esse numerum maleficorum insanorumque arbitratur, porroque Hutwalkerus Hamburgensis insanorum multitudinem aequari quodammodo copia voluptatum. His omnibus ponderatis malos mores concedimus haud raro tur-

bare mentem, at semper et ubique hoc fieri nefas est contendere.

Prima educatio totam vitam format, in ea jacent involuta germina boni cujusque et mali, quod ab homine perpetratur. Sic cupiditatibus non impugnatis, quibus tam facile indulget juventus, saepissime observamus oriri insaniam. Ira, amor, vanitas, superbia, ambitio, quibuscum sensorii quaedam exaltatio connectitur, haud raro psychico, quod afferunt, damno melancholiam maniamque excitant. Continuae mentis contentiones sive singularum animi virium, meditationes studiosae de iisdem rebus, imprimis philosophicis religiosisque lucubrationes assiduae, cultus mentis vitiosus, quo imaginatio magis quam ratio efformatur, eundem morbum adducunt. Ejusdem generis est educatio, qua nimis exitata vi imaginandi vel licentia religiosa mentis actio in certis quibusdam cogitationibus figitur inque iisdem solis nimium collocat studii. Inde propensos habemus ad mentis turbationem poetas, philosophos, theosophos aliosque. Recentissima, quae valet apud nos naturae philosophia et quasi poëticae illae de vita ideae, quibus, quae corporis vulgo habentur, negantur, apud eos saltem, qui lautiore vitae genere utuntur, haud minimam vim videntur exseruisse in insaniam tam

crebro obviam. Transeamus ad ratiocinandi facultatem minimam, nimia neglectione ortam. Qui parvo tantum hujus facultatis modo utuntur homines, propensi sunt ad imaginandas res quam maxime miras vanasque, in quibus sibi placent, imprimis si e votis illae sunt et cupiditates leniter mulcent, quarum de vanitate atque inanitate inviti tantum sibi persuaderi patiuntur et vel non valent errores suos cognoscere. Quam ob rem totos sese in iis figunt, quasi studio aliquo, et tandem, consuetudine inveterata et familiaritate quadam cum iis contracta pro veris habent ratione imbecilli, qua gaudent, non obstante. Tandem Fodéreus liberos feroces, saevos, ad imperandum pronos, tolerare nescientes quae nolunt, qui animalia vexent, servos hominesque sese inferiores contemtim tractent, quam maxime ad mentis turbationem contendit vergere.

Sequitur frequens usus potionum spirituosarum, de quo loquuntur Casperus et Clarus in animadversionibus suis. Innumeri sunt, qui hoc malo insani fiunt. Medici omnes in eo consentiunt, bibaces, etsi fortasse non ita crebro mente turbentur, attamen ad iracundiam, iram imo furiosam inclinare. Quin vulgo haec docet experientia. Adi Platnerum in quaest. med. forens. dicentem: sensim

existit morbosa illa apud ebriosos quaedam ferocitas, quae nunc ad lenissimas causas subito exardescit cum audacia et crudelitate; nunc impatiens rerum adversarum et imprimis domesticarum inter occultos angores sollicitudinesque totius fortúnae ac vitae desperatione tandem in rapinas, caedes, seditiones, incendia erumpit. Haec incontinentia habet effectus similes venenis narcoticis, indeque fit necessario, ut bibaces mentis vires assiduo usu perniciosae potationis tam reddant infirmas; ut bestiis aequiparari queant et omnino mente carentes appareant. Mortem per delirium tremens obieruut Hamburgi anno 1821 octo, 1822 duodecim, 1823 tredecim, 1824 sedecim, 1825 duo et triginta. Quamquam Fodéreus potum spirituosum non ita crebro in causa esse arbitratur insaniae, propterea quod ejus effectus sint citiores et brevi praetereant, quodque eodem pellatur melancholia. At quaevis irritatio praeteriens assiduo adhibita fit perdurans et quod ad alterum argumentum adtinet, saepissime in morbis videmus utilissimas esse res, quae sanis perniciosae sunt et abundanter usurpatae nocent. Porro probare suam sententiam ille studet eo, quod in Anglia ante hoc tempus usus spirituosorum major fuerit, in Franco-Gallia minor, neque propterea numerus insanorum diversus sit.

Vini usus minime omnium perniciosus esse dicitur, maxime nocere aqua e solano tuberoso usta et eadem ab oleo illo, quod proprio vocabulo fusel dicitur, non purgata. —

Jam hoc loco memoramus abusum facultatis procreandi et onaniam quae vocatur. Cupiditati procreandi qui crebrius morem gerunt, corpus suum pessumdant. Bonae valetudini quaevis intemperantia nocet, eo magis, quo vel aetas immatura vel maturitatem egressa est, vel illa fit modo a natura alieno. Mala, quae inde sequuntur, non in solis continentur genitalibus, sed in omnem complexum nervorum redundant et totam corporis vegetationem. Saepius igitur inde oriri videmus obtusos sensus, perversas imaginationes, hebetem memoriam, melancholiam, rationis imbecillitatem. Plurimum autem onania nocet, nihilominus tam crebro commissa, in scholis vel immo in incunabulis. Britannus quidam scriptor recentioris temporis ternos trientes affirmat insanorum et marium et feminarum inter aetatis annum duodevicesimum et tricesimum morbum suum hac turpi voluptate nancisci. Nimius tamen mihi videtur hic numerus; nam non in censum venire debet onania, quam committunt qui jam mente turbati sunt.

Proximo loco nominamus climatis, situs, habitaculorumque rationem. Heindorfius et Montesquieu (1) melancholiam illam Anglicam, quae vitae taedio cernitur sine ulla externa causa orto, originem habere volunt in climate Angliae, quod humida atmosphaera, defectu sereni solis, diebus nebulis tenebricosis nervos deprimat et quasi tenebras in mente ipsa efficiat. Maniam contra, si fidem habes Bodino de republica L. I. c. s. et Leoni Africano d. Fessa urbe L. III. a Dreysigio laudatis, et encephalitidem imprimis in tempestate sicca aridaque et in regionibus, quae tali climate utuntur, uti in Hispania, Africa, Asia minore, atque hieme gelu nimio illustri multo saepius invenias quam ubi tempestas est mediocris et climatis genus aliud. Aër calidus humidusque, quo functiones systematis sensibilis omnino fatigantur, qualis in vallibus altis, montibus sylvisque pressis est, quo solis calor vix ac ne vix quidem penetrare potest et aër similiter ac stagnum quoddam immobilis manet, sine dubio gravissima causa habetur cretinismi endemici, qui est in altis calidisque vallibus Pedemontii Valesiaeque, prae-

(1) Versuch einer Pathol. und Therapie der Geistes- und Gemüthskrankheiten §. 210.

cipue Martinachii Villaeque novae, et in regione Salisburgica et ad ripas Salissae, ubi cretini audiunt Fexe (Fleckchen), et in Hercyniae sylvae convalla, quae est inter Clausthaliam et Osterodam. Si hanc causam spectamus, praegravis est liber Moseleji de morbis, qui inter tropos occurrunt et de climate Indiae occidentalis, in quo docetur Europaeos mente debiles, si in India occidentali tempus aliquod vivant, in valetudinem restitui, ut cerebrum eorum quasi sole maturescat (1 et 2). Habitationes luce carentes, humiles, humidae, uti nosocomia, custodiae publicae, magnam vim habent in morbos systematis nervosi neque raro efficiunt melancholiam, hypochondriam etc. Etiam aquae nimia gypsii quantitate abundantis usum Sennesburgius observat causam esse efformatricem cretinismi. —

---

(1) Vice versa Auvergnati, qui itinera in meridionales Hispaniae provincias faciunt, a melancholia aut mania correpti redeunt; multi Francogalli in Hispania mente privantur.

(2) Al. ab Humboldt dicit minimos vesanos inter Americae feroces inveniri; Carrius narrat, se in Russia, exceptis permagnis urbibus, haud multos vidisse. In Francogalliae agris plures inveniuntur vesani, quam in urbibus. Agricolae ad melancholiam religiosam et erotomaniam propensi sunt; urbani ad alias vesaniae species. —

Nuntius de hominibus mente captis allatus jam saepe mentes turbasse dicitur sive metu sive terrore, sive vi imaginandi hominum teneris praeditorum sensibus. Huc est trahendum fortasse eos, qui insanorum furiosorumque custodiam agant, assiduo usu interdum similem pati mentis turbationem. At de his mentis turbationis causis gravissimis hactenus. —

Jam eo ventum est, ut liceat progredi nos ad quaestionem de officiis, quae civitati tribuantur in his rebus et ad dicendum, quae illa sint et qualia.

Quod de propagatione insaniae a parentibus ad liberos diximus, sane verum est, aediles publicos non posse immisceri in vitam solummodo privatam et quia ipsis non innotescat, et quia illi, quorum est, vix sint situri talem curam. Contra rei gravitas poscit, quidquid efficere eos conceditur, ut id faciant et aliquid posse magistratus publicos extra dubitationem est. De Cretinis Sennesburgius has proponit leges: matrimonium nubilium cretinorum primi gradus ne admittitor, cretini imperfecti tum tantum matrimonium ineunto, quando testimoniis sufficientibus facultatem nubendi sese habere demonstraverint, et constet non a cretinis originem eos habere. Ubi insania aut furor in binis generationibus invi-

cem sibi succedentibus conspicitur, e republica vetator matrimonium. Hominesne qui insania laborarunt, quin heritate hunc morbum nacti sint, matrimonium inire liceat, necne, equidem non ausim definire, deficientibus argumentis, quibus eorum liberos mente privari probetur. Ne per insaniam liberi procreentur, civitatis est prohibere. Mente debiles, captosque negat Frankius admittendos esse ad matrimonium, vel si lucidis intervallis gaudeant. Si non concedatur magistratibus politicis, ut in his rebus potestate sua utantur, medicos decet sacerdotesque atque hos quidem imprimis, illos ut adjuvent. Quid aut si omnino aliquid in scholis aut in ecclesiis in hunc finem fieri liceat, deliberent apud quos est rerum divinarum administratio. Medicorum est liberos parentum, qui insania laborant, admonendo docendoque a matrimonio retinere. Magnae fore opinor utilitatis, si jussu civitatis scriptionibus in vulgus emissis medici his rebus lucem afferant.

Ad coërcendos malos mores civitas per sacerdotes multum efficere potest aeque ac per magistros scholarum paedagogiorumque. In vulgus et praecipue juventuti origines insaniae a malis perversisque moribus turpitudineque omni repetendae ostendantur, exemplisque probentur atque illustrentur.

Porro civitas eo potest prodesse, ut occasiones causasque turpitudinis tollat, acerrime vigilando in cauponum lenonumque diversoria et quae similia sunt, vetandoque, ne juventus has scelerum officinas adeat.

Si de prima educatione quaeris, civitatem fiduciam omnem necesse est ponere posse in ministris scholarum ecclesiarumque, qui publice et privatim omni ratione officia sibi injuncta exsequantur, ac liberos ita instituant, uti societas humana requirit. Parentes quoque in his rebus illos debere adjuvare, non eget argumentis. Haslamius in libro observations on Insanity maximam internarum insaniae causarum partem dicit originem habere in vitiosa educatione, quae semina stupiditatis in teneris animis spargit, quavis opportuna tempestate efflorescentia. Magistri juventutis aeque in eo laborent, ut temperamenta, quae vocantur, passionesque, ac ratiocinandi vim puerorum observent et meliores reddant. Primo quoque tempore homines animadvertere doceantur, quamque causam certos suos effectus habere, ipsisque omnino amorem stabilem et tenacem rerum, quae breve tantum durant, nunquam capiendum esse.

Usus spirituosorum. Nolint magistratus publici cuique facultatem concedere venumdandi potio-

nes spirituosas, severe observent horam certam, qua cauponae claudantur, pueros ne admittant in diversoriis, vetent, ne caupones ebriis vinum promant poena severissima proposita, bibaces in custodia publica collocent et vel publice vel in familiis a vitio illo liberandos curent. Cramerus proposuit vinum ustum, quod dicitur, acidis quibusdam vel aqua menthae vitiandum esse. Cum vinum ustum illud plurimum noceat, quum oleo illo fuselicio infectum est, vel aliis rebus vitiatum, a magistratu videatur, ut ab his rebus integrum sit, quod venale est. Domus publica, in qua ebrii custodirentur curarenturque, maximam afferret civitati utilitatem. —

De onania prohibenda. Hoc parentum est; inquirant in lectos, vestes, loca secreta; causas ejus, quae ab habitu corporis proveniunt, investigent, neque enim semper vitium est, quod in ipsum puerum puellamque cadat. Tales causae sunt irritamenta genitalium vel externa vel interna, vita mollis, morbi quidam, quibus nervi nimium irritentur, abundantia seminis in vesiculis seminalibus, edulia acria etc. Haec removeantur. Causis, quae animum spectent, seductioni, voluptati, verbis librisque lascivis quovis modo obstruatur. Pueri puellaeque majores natu observentur; lectio librorum lubricorum et imagina-

tionem stimulantium vetetur, usus hominum perditorum interdicatur. Quos onaniam agere in publicum notum est, iis medentur, qui causas removent, capsulos circa genitalia collocent, in lectos ponant, ubi pedibus manibusque ligentur. —

De climate et domiciliis. In his civitas hoc tantum efficere potest, ut animos advertat ad ea, quae noceant, et passim regiones in meliorem statum redigendas curet, paludibus siccandis, sylvis excidendis etc. Cretinos in climate collocet ipsis magis accommodato, alios mente morbidos ad itinera facienda excitet. Curam foveat habitationibus commode apteque instituendis aedificandisque, aedificia publica, nosocomia, custodiae publicae maxime ad sanitatem accommodentur.

De insanis ad notitiam publicam ferendis. Hoc ut fiat in diariis, in quibus saepe in eum finem adscribuntur, ut animi moveantur, ne sinant magistratus; aditus ad nosocomia insanorum ne cuique pateat; in morbidorum curatores acriter invigiletur. — Haec sunt, in quibus, arbitror, magistratus publici valeant efficere, ut insania prohibeatur. —

Jam de cura hominum loquemur, qui ad insaniam proclives sunt. Sunt homines, qui sive ex he-

reditate sive non, singularem gestum prae se ferant, liberi parentum insanorum, homines, qui mente turbati erant, nunc autem re vera, vel specie tantum reconvaluerunt, mirum autem sese gerunt, sunt denique bibaces. His nullam curam impendat respublica? Fodéreus primus monuit instituta esse condenda, in quae illi recipiantur, at nequaquam haec nosocomia insanorum esse. Illi homines omnino singulari familiae cujusdam, medici, vel sacerdotis custodia utantur, nam in societatem publicam recipi nequeunt; et quisque pro malo, quo laboret, tractandus est, sed cum liberali amore diligentiaque, quippe qui infeliciores sunt ipsis insanis.

II.

De iis, quae generatim adhiberi queant ad curandos insanos. Ante omnia medici ad eam rem sunt necessario provocandi. Quae in studiis medicorum de insania nunc tractari solent, valde sunt imperfecta. Henkius, Nassius, Fodéreus easdem querelas eloquuntur. Sed medici tirones culpam habere dici non possunt, deest exercitatio, quae in insanis ipsis fiat, etiam boni libri desunt, uti omnino insanorum tractatio incerta adhuc quaedam est et confusa. In policlinicis interdum quidem in-

sani sunt, at quam difficile sit in domibus privatis insanos tractare, quisque videbit; etiam clinica non sunt apta ad insanos recipienda, alioquin in universitatibus litterarum propria clinica ad tractandos insanos instituenda essent. Quod quum non fiat, aditus ad insanorum clinica pateat medicis tironibus, nam docendi sunt tractationem insanorum. Illa locis quam proximis ad universitates instituantur, sex vel octo medici in iis excipi ut possent hospites, necesse esset, sumtibus quam maxime exiguis; sex vel octo hebdomadibus ante examen subeundum, tempus esset ad hunc finem accommodatissimum. Hic instituatur medicus juvenis, discat familiaritate uti mente captis, minister eorum fiat comesque in ambulationibus, adjuvet eos in negotiis. Casus difficillimos illustret director, scholas ille habeat de parte theoretica morborum psychicorum, eosque doceat illorum tractationem, tradat ipsis tractandos tales morbidos, quibus nocere non possit. —

Sacerdotes. Eorum conditio est ethico-religiosa, quumque mente turbatorum status sit anthropologicus, ad illos quoque pertinet. At ut nunc agunt rerum sacrarum administri, raro boni quid efficiunt; contrario infirmos saepissime magis etiam turbant, nam quum exhilarare eos debeant, poenas

loquuntur et iis conviciantur. Quare oportet, ut magis in cognoscendis morbis psychicis studium ponant sacerdotes, quod optime fieret, si scholis de iis habendis interessent, aut si liber scriberetur, qui iis legendus traderetur. Operam dare possent curandis morbidis partim admonitione (psychagogica), ut bibacibus, partim tractatione sub auspiciis medicorum.

At non omnes possunt mente turbati in domibus suis familiisque tractari; alios medico, alios sacerdoti licet tradere, sed ne huc quidem omnes mitti possunt, multique in nosocomia duci debent, quae curandis insanis inserviunt. Haec vel publica vel privata esse possunt, aut solis cum necessariis rebus instructa aut largiter abundanterque. —

Res talibus institutis maxime necessariae hae sunt: situs domi saluber cum hortu sepibus circumdato; praesidium medici bene instructi; numerus curatorum sufficiens, in denos infirmos singuli saltem; separatio sexuum, reconvalescentium; loca remota pro furentibus; conclavium copia necessaria et parvorum et magnorum; mundities supellectilis; cloacae in locis remotis; calefactio conclavium per hiemen; cibi salubres affatim dati; custodia ignis, cultrorum, furcarum, rerumque omnium, quibus damnum sibi afferre possint morbo infelici laborantes, cloacarum, ne

in iis sese claudant insani in easque irrepant; nulli spectatores; nullae visitationes inconcinnae; cautio, ne sanus aliquis recipiatur; dimissio eorum qui curati sunt quique insanabiles sunt; sumtus mediocres; inspectio magistratuum superiorum, politiae et medicorum collegii. Ut autem insanis sit conditio quam maxime accepta, atque ut omnia fiant, quae ad curationem insanorum valeant, bonis institutis opus est. —

Heinrothius in libro de mentis turbatione ea, quibus tale institutum exornari debeat, ita describit. Domus delirorum sita sit in regione salubri, sicca, ventis mediocriter patenti, amoena denique, neque nimis prope urbem aliquam, neque nimis procul ab ea. Prata virgultis intercisa, aquam liquidam in propinquitate, agrum hortumque possideat. Quod ad aedificium attinet speciem habeat serenam, in tres partes dividatur, aedificia oeconomica, habitationes ministrorum, in quibus sit administratorium, apparatus pharmaceuticus chirurgicusque, et domum propriam insanorum. Haec dividatur in partes duas, unam, in qua curentur morbidi, alteram, in qua custodiantur, qui debeant. Hae partes in utraque alea sitae sint, in medio spatio posita sint habitacula aedificiaque oeconomica. In domo insanorum separata sint

conclavia utriusque sexus. Spatia sunt aut communia aut privata. Communia sunt coenaculum, dormitoria, loca ad negotia, conventus pro mala valetudine utentibus. Privata sunt conclavia pro furentibus, immundis, quodque pro sua ratione instructum. Domus delirorum e lapide constructae sint, spatiosae, clarae, siccae, bene comparatae ad calefaciendum, collustrandum, et invita omni cura, ut firmae sint, quaeque custodiae species evitanda est. Sic fenestrae non habeant cancellos ferreos, sed sint sitae prope lacunar. A portis absint catenae et pessuli, tali autem modo claudantur, ut insani aperire eas non possint. Ceterum haec domus opacis arboribus sit cincta, aulamque habeat spatiosam, ad ambulandum aptam, arboribus consitam, toris gramineis instructam. Aedificium proprium ad tractationem corporis destinatum sit, imprimis ad balnea cujusque generis. Porro hic sit oecus correctionis cum omnibus ad hanc rem necessariis machinis atque instrumentis. Omnes, qui instituto serviant, apte sint delecti, distributi, instructi. Summus procurator adsit, cui obediant ministri, qui vero ipse medico audiens sit. Praeter hunc adsit sacerdos. Medicus sit quasi animus totius instituti, cum

adjuvent administri medici, chirurgus, apothecarius, numerusque sufficiens curatorum et ancillarum ab ipso officia sua edocti. Domus ne sit nimis inserta deliris, dein tales tantum infirmi recipiantur, qui revera mente turbati sint, spemque admittant curationis. Ad quos curandos fiant omnia et quae ad corpus et quae ad animam adtinent, ita ut tum operentur, tum recreentur, otium jocumque habeant magna cum varietate. Non igitur tantum suppeditant amoenitas loci, ambulationes jucundae, horti etc, sed opus est etiam, ut occasio praebeatur ad opus faciendum omnis generis et animo cultis et rudibus, et corpore infirmis et resipiscentibus. Horti agrique cultura, opera fabrilia et artes factitari possint, scientiae quidem ne plane desint. Bibliotheca ad hos usus comparata, apparatus physicalis, collectio naturalium sint praesto, uti etiam quae ad exercitationes musicas, ad delineandum, pingendumque utilia sunt. Cum domus delirorum sint genus paedagogiorum, magnam habet utilitatem, si, ut pro opificiis et artibus, ita pro scientiis variis sint in vicinitate, qui doctorum munere fungi possint. Ita artis musicae, delineandi, historiae naturalis, physicaeque, quin gymnasticae doctores adsint, sartores, sutores, fabrique lignarii alioquin tali instituto deesse non possunt.

Ludis cujusque generis in usum mente debilium, occasione ludendi pro reconvalescentibus, area ad conos, tabula sphaeristica etc. plane non potest carere tale institutum, imprimis cum et pro tempore hiemali recreationis cura adhibenda sit. Primarius lector magisterque ludorum horum omnium medicus sit, qui omnes ludos recreationesque instituat. Medicus omnino est animus instituti, quare fieri non potest, quin sit vir ad hanc rem ab omni parte comparatus, et quod ad indolem et ad speciem externam adtinet. Firma necesse est ut valetudine utatur, laboresque ut corpus ejus non fatigent, neque acris impetuosusque; neque ignavus inersque sit. Rem quam agit toto animo amplectatur, cumque amore et studio agat. Firmo sit animo, probo, affabili, non vero atroce, horrido, minime autem nimis dulci effeminatoque, et severum et mitem sciat esse, quod utrumque pro re nata necesse habet. Medicus sit perfectus, edoctus scientia arteque, studio et experientia. Nam psychicus medicus summus est sui generis.

III.

De damni a deliris inferendi praecautione. Damnum, quod potest afferri per deliros,

valde est varium. Deliri partim sibi ipsis, partim aliis nocere possunt; mente turbati putari possunt, qui non sunt, et contra homines, qui mentem sanam habent irrepere possunt in domos insanorum; sani hic custodiri, reconvalescentes retineri possunt etc. In omnibus his rationibus, quas prolixius enarrare longum est, raro singulos auxilium ferre posse, sed civitatis potestate opus esse, quisque videt. At recentioribus demum temporibus auxilium civitatis provocarunt, quod antea non factum erat. —

1) Jam civitatis est curam agere, ut sint, qui abnormes illos status psychicos accurate noverint, symptomata eorum prodroma, lucida intervalla, similesque conditiones notas habeant. Alii hi esse nequeunt, nisi medici et penes hos est operam dare studio et tractationi insanorum. De his etiam in eorum compendiis sermo est et praxis medica ad eos pertinet. At ceterarum quoque facultatum jus est in deliros: J u r i d i c a e: recentiore demum tempore haec processit in usum suum proferens notitiam sceleratorum, qua opus sibi sit et deliros eorumque actiones ad suum forum pertinere. At sceleratis cum mente turbatis nulla est communio et si alterum spectas, psychologica quidem ratione sententiam ferre possunt et decernere de libertate. At hoc non suf-

ficit, parvaque ergo est sors judicum. Theologicae: fere hujus eadem est ratio. Theologi, cum omnia ad Deum vitamque in Deo referant, valde propensi sunt, ad deliros eodem modulo judicandos. At hoc nequaquam concedi potest, nam pro tempore delirii extra ethicum judicium ponendus est delirus. Injuste igitur agunt rerum sacrarum administri, qui talibus hominibus conviciantur, eos a Deo descivisse dicunt et peccatis inquinatos etc. Philosophicae: Kantius ad hanc statum delirorum pertinere contendit. Quem Metzgerus refutare conatus est. Suffragium pro philosophis fert eorum cultura maxime communis omnium scientiarum, et studium anthropologiae, quod fere soli factitant, at fieri deberent, quales non sunt, naturae accurati contemplatores, si solius theoriae ratione habita vellent quod operae pretium esset praestare, quod hucusque nondum factum est. Ad praxin, quum apud pulpita scriniaque tantum rem habere soleant, nihil ab iis utile exspectes. Ad hanc solam appetit scientia psychico-medica, quae docere debet, quomodo turbata mentis conditio in statum integrum restitui possit. Multo magis ad paedagogos pertinet haec ars et scientia, et ipsi medici sunt qui arbitrentur curationem delirorum esse quasi iteratam educationem. —

2) Qui a civitate hujus rei judicandae munus accipiant, eam quam optime noverint et theoretice et practice, etiam periti sint in componendis visis repertis. —

3) Hi viri ad consulendum omnibus, quibus opus est, obstringantur. Aut a commissione medica in universum obligentur, sine mercede conducta, quam pro singulo officio accipiunt, aut e medicis singuli eligantur, qui propriam pro hoc munere mercedem accipiunt proprioque nomine appellantur. Alterum non satis eos obstringit, alterum parum admittit aemulationem; optime utrumque conjungitur. Omnis medicus obligatus sit, ut, si res petat, consulat rogantibus et pro singula consultatione mercedem accipiat, insuper etiam physicus. —

4) Institutio custodiarum.

5) Cura delirorum, qui apud concionatores, medicos vel apud privatos curentur custodianturque.

6) Leges familiis observandae, in qibus deliri sunt, qui sibi vel aliis nocere possint. Medicis injungatur talium mente turbatorum conditionem ut animo persequantur.

7) Civitas animum advertat in impostores, qui mentis turbationem aut dissimulent aut simulent.

8) Institutio medicorum, qui adhibeantur ad

curam de praecavendo damno a deliris inferendo et medicorum ipsorum inspectio. —

Medicus insanabiles a sanabilibus distinguat, ex historia infirmi, duratione morbi statuque praesenti. Deliri, qui tribus vel quatuor annis hoc morbo laborarunt, fere insanabiles sunt habendi, porro qui ex hereditate mente turbati sunt, qui plures morbi passi sunt impetus, annum quinquagesimum egressi sunt, qui corpus habent corruptum, qui magnis aerumnis depressi sunt, nimium potionis spirituosae biberunt, quibus idea, quae vocatur, fixa est, qui nulla intervalla lucida habent, qui plane hebetes sunt. Medicus obstrictus sit, ut de his rebus propinquis testimonium scribat. Tale testimonium continetur inquisitione et arbitrio. Medici est, iterum atque iterum ut morbidum observet, cum eo versetur, potissimum remotis testibus. Ut hoc fieri possit, confidentiam aegroti sibi comparet, ne ei contradicat, caveat ne simulatione decipiatur, bene observet lucida intervalla, in quibus morbus remittitur tantum. Ut memoria cognoscatur, aegrotus invitetur, ut, quae in vita sua sint maxime memorabilia, narret, de juventute, matrimonio, itineribus etc. Ad investigandam vim imaginandi, proponantur laboranti combinationes, computum faciat, quo rem suam administrare

velit mente sua, ut iter faciat commoveatur, quaeratur ex eo, quomodo in hac vel illa conditione se gesturus sit. Ad judicium ponderandum sermo sit de propinquis, commonefiat de hac vel illa re, qua ejus sensus moveantur, videatur, quae sint ejus cogitationes circa religionem etc. Ut quae sit ejus voluntas palam fiat, cernatur, quibus contineantur ejus sensus, quo agatur maxime, qua vi acturus sit concitatis certis sensibus. Hac inquisitione instituta ea, quae repererit, simpliciter et cum ordine in testimonio describat et judicium inde factum adjiciat.

Interdum autem etiam arbitrium ferendum est de hominibus revera non insanis, sed insaniam simulantibus. Difficile est medicum bene instructum vel in tempus aliquod decipere, quum persona, quam tales agunt, sit nimis artificiosa, quam ut maturius seriusve non eam amittant, veramque prodant conditionem, si medicus rem suam bene cauteque gesserit.

Denique medicorum in officio est, in usum magistratuum judicumque judicium ferre de hominibus, qui mente turbati sunt aliisve nocere possint. Quaeritur autem, quas quaestiones judex medico proponat? Anthropologicas tantum; nam psychologicae in hac re medicum non pertinent. Hac regula obser-

vata multi errores, qui in medicina forensi animadverti solent, deessent. —

VITAE CURRICULUM.

Ego Fridericus Guilelmus Theodorus Breunig, evangelicae addictus confessioni, natus sum Elberfeldae, anno MDCCCVIII die mensis Octobris decimo, parentibus Martino Breunig et Helena, e stirpe Aschmann. Matrem optimam praematura morte mihi abreptam lugeo, patrem adhuc superstitem pio gratoque animo veneror. Simul autem liceat mihi, matri alteri, Dorotheae, e stirpe Staats, cujus amori permulta debeo, gratias agere, quas possum, maximas. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium, quod Elberfeldae floret, adii ibique per septem annos commoratus, testimonio maturitatis accepto, paschali tempore anni MDCCCXXVIII in academiam Lipsiensem sum profectus, et a Beat. Muellero t. t. Rectore Magnifico in numerum civium Academicorum receptus hasce scholas audivi: in philologicis de Quinctiliano apud Exc. Frotscher, de Sophoclis Oedipo Tyranno apud Exc. Hermann, de historia generali apud Ill. Wachsmuth; in philosophicis audivi Ill. Schwaegrichen de botanice, mineralogia et historia naturali; Ill. Kuntze de cryptogamis et de plantarum viribus medicatricibus; Ill. Krug de logice et philosophia; Ill. Heinroth de anthropologia et psychologia; Cel. Kühn et Cel. Erdmann de chemia et theoretica et practica; Cel. Brandes de physice. Encyclopaediam et methodologiam medicam mihi tradidit Exc. Braune; anatomen et generalem et specialem Ill. Weber et Beat. Bock, qui etiam duces mihi

fuerunt in arte cadavera rite dissecandi; anatomen comparatam Exc. Volkmann et anatomiam pathologicam Ill. Cerutti. Physiologiam et Ill. Weber et Ill. Kuehn; pathologiam et therapiam generalem Ill. Radius et semioticen Ill. Hasper; artem obstetriciam Exc. Joerg et therapiam et materiam medicam Ill. Haase; per annum dimidium interfui clinicis institutis Ill. Clari et Ill. Kuhlii.

Duobus Lipsiae annis peractis ad almam musarum sedem Berolinensem me contuli et a Beat. Hegel t. t. Rectore Magnifico in numerum civium Academicorum receptus et a Decano Ill. Wagner in album medicum relatus sum. Hic hasce frequentavi scholas: therapiam apud Ill. Frid. Hufeland; materiam medicam apud Cel. Schulze; chirurgiam et generalem et specialem apud Ill. Rust; akiurgiam apud Cel. Juengken; morbos psychicos apud Ill. Horn; clinico interfui chirurgico apud Ill. Rust et Ill. de Graefe; clinico medico apud Cel. Wolff, clinico pro morbis infantum apud Cel. Barez; clinico ophthalmiatrico apud Cel. Juengken; clinico obstetricio apud Ill. Kluge. Quibus viris omnibus, summe de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias. —

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, nec minus examine rigoroso, coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES DEFENDENDAE.

1. *Multi mentis morbi oriuntur animo vita deterrima commoto.*

2. *Etiam sanguis vita gaudet.*

3. *Pulsus ad cognoscendos morbos non certum est signum.*

4. *Venaesectio in inflammationibus non est remedium debilitans, sed roborans.*

5. *Nullum medicum sine opio.*

6. *Inflammatio asthenica est contradictio.*